AUTHOR:

BORGIUS, FRANZ

TITLE:

DE TEMPORIBUS, QUIBUS VERGILI

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

[1875]

Master Negative #

91-80417-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Borgius, Franz, 1852-
De temporibus, quibus Vergili Georgica scripta et perfecta sint; dissertatio inauguralis quam... publice deendet [!] auctor Franciscus Borgius... Halis Saxonum, Formis Ploetzianis, [1875]
45 p. 21½ cm.

Thesis, Halle, 1875.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35M REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1/9/92 INITIALS RD.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

TEMPORIBUS, QUIBUS VERGILI GEORGICA SCRIPTA ET PERFECTA SINT

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

IVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

D SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE IV. M. DECEMBRIS MDCCCLXXV

HORA XII

PUBLICE DEENDET

AUCTOR

FRANCISCUS BORGIUS

GEDANENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

A. BŒHMER, CAND. PHIL.

W. NEUMANN, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM,

FORMIS PLOETZIANIS.

Inter omnes sententias, quae quidem ad tempora Vergili georgicon definienda prolatae sunt, imprimis duae mihi videntur memorandae esse, quae ut jam ab aliis propositae sic his temporibus a Ribbeckio et a Schapero singularibus libris explicatae sunt.

Ribbeckius enim, vir doctissimus et sapientissimus, in prolegomenis criticis, quae ad Vergili opera majora anno 1866 edidit, primus continenti commentatione in explorandis georgicon temporibus egregia qua pollet doctrina et judicii subtilitate versatus non modo ex testimoniis veterum scriptorum sed etiam ex descriptionibus temporum, quae in ipso carmine inveniuntur, georgica ab anno u. c. 717 usque ad annum 724 scripta esse conclusit.

Atque ad rei summam certe omnes paene editores, quorum quidem sententiae ex editionibus manifestae sunt adhuc idem senserunt, nisi quod in diversas sententias discedunt de tempore, quo primus georgicon liber compositus sit. Sed ad sententias suas probandas hi videntur veterum tantum scriptorum testimonia observasse quum opinentur ut Vossius[1]), Tittlerus[2]) alii, ex ipsis trium ultimorum librorum locis nihil effici posse ad tempora quibus georgica scripta sint, quia hi loci a poeta serius inserti vel adeo spurii sint.

Sed ne aberremus ab eo de quo quaestio est, illi horum virorum sententiae qua demonstratur georgica circiter annis

---

[1]) Voss. Ländliche Gedichte, Bd. 3 u 4. Altona 1800.

[2]) Tittler, Ueber die Zeit der Veröffentlichung der Georgica. Brieg 1857.

717—724 confecta esse, nuper a Schapero, viro doctissimo et ingeniosissimo, consideratis et testimoniis antiquorum scriptorum et ipsius carminis locis, altera opposita est.

Schaperus enim[3]) id persecutus, quod jam Wagnerus in editione clarissima aliquando obiter dixerat, pluribus confirmare conatus est georgica ab anno u. c. 723 usque ad annum 725 scripta esse.

Quae Glaserus[4]) improbavit, qua negatione haec quaestio non videtur expedita esse.

Quodsi equidem denuo hanc in rem inquiram, non tam id spectare mihi proposui, quo tempore universum opus quam quibus temporibus singuli libri scripti sint. Nam hac ipsa ratione, quoniam Ribbeckius imprimis pluribus verbis explanat Vergilium georgica jam absoluta et edita usque ad vitae exitum emendare perrexisse, facilius in universum dijudicari posse existimo, utrum haec conjectura probabilis sit an non.

Quod judicium si verum esse ipsa mea commentatione comprobatum fuerit, non vereor ne, quod denuo in rem jam ab aliis tractatam inquisiverim, acta egisse videar.

Atque ut in hac disputatione eas res, in quibus ab aliorum sententiis abhorreo, pluribus persecutus sum, sic in aliis, quae a viris doctissimis jam in meam sententiam disputataeerant, breviter exposui.

Ita autem institui quaestionem ut in priore parte tempora singulorum georgicon librorum constituerem, in altera examinarem, quam vim et auctoritatem veterum scriptorum testimonia de georgicon emendatione et editione haberent.

---

3) Schaper, de georgicis a Vergilio emendatis. Berlin 1873.
4) Glaser, Neue philol. Jahrbüch. 1874 pg. 570 sq.

I.

De temporibus quibus georgica scripta sunt haec Donatus in vita Vergili memoriae prodidit: 19 (30): „M o x . . a d b u c o l i c a t r a n s i i t . . . d e i n d e e d i d i t g e o r g i c a i n h o n o r e m M a e c e n a t i s . . . N o v i s s i m e A e n e i d e m i n c h o a v i t."
et 25 (40): „B u c o l i c a t r i e n n i o, g e o r g i c a VII, A e n a i d a XI p e r f e c i t a n n i s."

quibuscum testimoniis conferatur vita Pseudoservii (Lion I, 1):

„T u n c e i p r o p o s u i t P o l l i o u t c a r m e n b u c o l i c u m s c r i b e r e t q u o d e u m c o n s t a t t r i e n n i o s c r i p s i s s e e t e m e n d a s s e. I t e m p r o p o s u i t M a e c e n a s g e o r g i c a, q u a e s c r i p s i t e m e n d a v i t q u e s e p t e m a n n i s. P o s t e a a b A u g u s t o A e n e i d e m p r o p o s i t a m s c r i p s i t a n n i s u n d e c i m; s e d n e c e m e n d a v i t n e c e d i d i t."

Quibus testimoniis quia non causa est cur inter grammaticorum commenta referantur, georgica septem annis scripta et emendata esse confirmatur. Sed quibus annis haec facta sint non dicitur.

Gravius testimonium in vita Donati[5]) hoc invenitur: „G e o r g i c a r e v e r s o p o s t A c t i a c a m v i c t o r i a m

---

5) Reifferscheid Sueton pg. 61.

Augusto atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti per continuum quadriduum legit suscipiente Maecenate legendi vicem quotiens interpellaretur ipse vocis offensione.[6])

Ex quo sequitur georgica anno u. c. 725 finita fuisse, quum Augustus, antequam mense Sextili Romae triumpharet, in Campania versaretur.

Attamen collatis inter se illis testimoniis per se concludere non possumus poetam georgica septem annis antequam ea Augusto Atellae recitaret, scribere coepisse, quia ex illis testimoniis non efficitur poetam non prius recitasse carmen quam id non modo scripsit sed etiam emendavit.[7])

Itaque, quoniam ex illis testimoniis nihil nisi hoc sequitur, georgica medio anno 725 absoluta fuisse, nunc videndum est, num ex temporibus, quae in ipso carmine describuntur, componendi tempora certius definiri possint.

Atque in exitu carminis[8]) ipse Vergilius haec dicit:

[6]) Nihil est quod huic testimonio diffidamus; ex Suetonio (Aug. 84) enim primum notum est, Augusti fauces saepius infirmatas fuisse, deinde (Aug. 89 et Reiffersch. pg. 61) Augustum sibi carmina recitari amasse.
cf. Ribbeckii proleg. pg. 14.

[7]) Per se fieri potuit ut poeta emendaret postquam totum opus scripsit aut statim post conscriptas singulas partes. — Id tamen hic dixerim illud ‚retractare', quo Vergilius plurimos versus mane dictatos per totum diem ad paucissimos redigeret (Donati vita 22 [33]) non idem esse atque ‚emendare'; quin potius poeta scribendo et retractando opus ad tempus finivisse, emendando autem extremum perpoliendi laborem adhibuisse existimandus est.

[8]) Georg IV., 559 sq.

Haec super arvorum cultu pecorumque canebam[9])
Et super arboribus. Caesar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello victorque volentis
Per populos dat jura viamque adfectat Olympo[10])

quibus versibus plane demonstratur poetam annis 724 et 725, quibus Octavianus post pugnam Actiacam in oriente pugnabat, occupatum fuisse in scribendis georgicis.

Sed haec quidem generatim et universe de totis georgicis accipienda sunt, nunc de singulis libris certa temporis indicia mihi videntur quaerenda.

Ac animadvertenti mihi certissima temporum ratio in georg II v. 170 haec invenitur:

Et te, maxume Caesar,
Qui nunc extremis Asiae jam victor in oris
Inbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Hic locus sine ulla dubitatione post pugnam Actiacam circiter medio anno 724 scriptus est, quo tempore Octavianus ad Aegyptum et ad gentes orientis contendit.[11])

Sed hos ipsos versus in quibus certa temporum descriptio inest nonnulli critici a poeta multo post opus confectum insertos esse putaverunt. In quibus Burmannus, qui ornatus

[9]) Glasero (annal phil. 1874) quod putat verbo ‚canere' non conscribendi sed edendi tempus significari, assentiri non possum, quia haec notio verbo ‚canere' subesse nullo modo potest. Accedit quod incredibile s't poetam plus quam unum annum in edendis georgicis consumpsisse.

[10]) Hos versus genuinos esse demonstratur in editione Heyne-Wagn. I pg. 688.

[11]) Vid Cassius Dio 51, 18—21. — Indos hic omnes orientis gentes intellegi, quae clade Actiaca perturbatae Octaviani clementiam implorabant, Ladevicus in sua editione adnotat.

praeclara eruditione et doctrina Vergili opera edidit, versus 171 et 172 a poeta appositos esse putat quum Augustus anno 734 in Asia versatus a Parthis signa olim a Romanis expugnata referret et Medis pacem conciliaret.

Sed primum quidem ignotum est hanc Augusti expeditionem a scriptoribus ita intellegi quasi suscepta sit ad depellendum hostium impetum ab arcibus Romanis, quod contra accidit in expeditione anno 724 suscepta.[12])

Deinde quis credat poetam tam simplices versus ad celebrandum Caesarem — aliam enim causam non video — postea inseruisse, quum eum in primo libro magnificis verbis ut deum imploret atque in tertio libro ejus victorias clare depingat?

Denique non puto poetam qui temporum vestigia ab ipso aliis locis[13]) impressa nunquam obscuravit hic, si modo hos versus postea inseruisset, verbum „nunc" oppositurum fuisse, quod unicuique ad tempus scribendi referendum erat.

Existimo igitur non esse negandum hos versus anno 724 scriptos esse.

Porro in eodem libro quod affertur v. 161 sq.:

An memorem portus Lucrinoque addita claustra
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Julia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrhenusque fretis inmittitur aestus Avernis?

quibus portus Julii ad recipiendam classem militarem ab Octaviano aedificati[14]) mentio fit, certum est post annum 717 scriptum esse.

[12]) Propert III., 11, 31 et Florus 4, 31.
[13]) Georg I., 24 sq.; I., 500 sq. III., 16 sq..
[14]) Cassius Dio 48, 50 sq.

Sed hoc quoniam nihil valet ad hujus libri tempora certius exploranda, statim transeamus ad alium locum qui in exeunte secundo libro invenitur.

Versibus enim 495—497 Vergilius agricolam tranquillum et suis rebus contentum cum inquieto et sollicito oppidano comparans, de illo haec dicit:

Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit et infidos agitans discordia fratres
Aut conjurato descendens Dacus ab Histro;

Quos versus generaliter et universe dictos esse, dicet forsitan quispiam, ita quidem ut verba „infidos agitans discordia fratres" ad discidia referantur, quae inter Italicas gentes belli temporibus saepius coorta esse videantur.[15]) Quod si quis putet, cum eo mihi nihil sit controversiae. Sed verba „conjurato descendens Dacus ab Histro" omnino ad incursiones a vicinis populis in fines Romanorum factas[16]) referri posse credere non possum.

Itaque hos versus si quis ad certa tempora redigere voluerit, ad annum 724 referet. Illo enim tempore ut M. Crassus cum Dacis et Bastarnis bellum gessit[17]), ita Octavianus finem fecit discordiae Tiridatis et Phraatis, qui etsi non fratres germani fuisse videntur[18]), attamen quoniam ex eadem gente Parthorum orti erant, fratrum nomine bene appellari poterant.

[15]) Ribbeckius (proleg pg. 19) laudat scholiastam Guelferbytanum, qui ad versum 496 ex fabulis Graecorum Eteoclem et Polynicem excitaverit. At, qui haec discordia animos agrestium movere potuit!
[16]) Dacos, saepius Danubio frigoribus conglaciato in vicinas gentes incursiones fecisse, Florus 4, 12, 18 dicit.
[17]) Dio 51, 23 sq.
[18]) ibid. 51, 18 et Justin 42, 5, 6.

Etiam hi versus igitur, si modo ad certum annum referuntur, ad annum 724 referendi sunt.

Inde concludo secundum librum anno 724 scriptum esse.

Jam vero in extrema hujus libri[19]) parte dicit poeta haec:

Et jam tempus equum fumantia solvere colla

ex quibus sequitur poetam scripto hoc libro quiescere in animo habuisse; sed postea videbimus ejus otium, si quidem omnino quievit, fuisse non diuturnum.

Nam ad tertium librum progredientes ut ante omnia explicemus tempora quae v. 26—33 depinguntur eo loco, quo novam sedem ludorum apud Mantuam constitui poeta fingit his versibus victoriae Caesaris celebrantur, quas annis 723 et 724 deportavit.

Ac primum quidem generaliter mentio fit pugnae contra extremum orientem pugnatae:

26. in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam

et Octavianus ipse quasi restitutor pacis afficitur cognomine ejus, qui Romam condiderat.[20])

victorisque arma Quirini

Deinde commemorantur victoria de Cleopatra et Antonio reportata atque columnae, quas ex rostris navium apud Actium expugnatarum fundi constitutum erat:

28. Atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac navali surgentis aere columnas.

---

[19]) Georg II., 542.
[20]) cf. Ladewig edit. pg. 128 et 129.

His additur expeditio in urbes Asiae et praesertim in Armenios et Parthos facta:

30. Addam urbis Asiae domitas pulsumque Niphaten
Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis

Denique commemorantur victoriae Caesaris de Bruto et Cassio atque de Sexto Pompejo partae, quibus reportatis Caesar bis ovans urbem intravit.

32. Et duo rapta manu diverso ex hoste[21]) tropaea
Bisque triumphatas utroque ab litore gentes.

Nam probabile videtur annis 712 et 718 in Octaviani ovationibus et orientis et occidentis gentes, quamquam nondum prorsus profligatae et devictae erant, ductas esse, quod Vergilius nescio an hic in majus extollat et celebret.

Hos autem versus uno anno ante mortem poetae insertos esse non causa est cur coniciamus. Nam aptissime anno 725 scribi poterant, quum ad annum 724 relati contortiores ac difficiliores ad interpretandum fiant.

Nam primum quidem hunc versum Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea partim ad orientem annis 723 et 724 subactum, partim ad victos anno 729 Cantabros referendum esse, eam ob causam prorsus nego, quod subactus quidem oriens, quum de eo versibus 26—31 modo expositum esset, hoc versu, quo novum argumentum praecedentibus versibus adjungi particula et clare denotatur, commemorari minime potuit.

---

[21]) Verba ‚diversus hostis‘ hoc loco non tam dicta sunt de iis hostibus qui in oriente et in occidente, quam de iis qui non iisdem sedibus sunt Appositum autem esse adjectivum ‚diversus‘ inde patet quod versibus praecedentibus (26—31) eae pugnae commemoratae sunt quae contra gentes quasi iisdem regionibus habitantes, id est contra Asianos depugnatae sunt.

Deinde omnino non video quomodo hic versus bisque triumphatas utroque ab litore gentes id spectare possit quod oriens bis, id est annis 723 et 724, deinde anno 734 et occidens bis id est annis 729 atque 732 victi sint.

Nam bisque triumphatas non idem esse ac bis divictas ex versuum 32 et 33 sententiarum compositione apparet, quae prava et absurda esset, si haec notio verbis bisque triumphatas subesset.

Sed si bisque triumphatas dicitur de gentibus bis per triumphum ductis — id quod rectum et certum est — omnino intellegi non potest ad quosnam triumphos ii interpretes, qui tempora hujus loci ita definiunt, ut modo dixi, hunc locum relatum velint.

Nam triumphus, ut ita dicam, anno 735 actus Vergilio non jam vivo factus est[23]), ut poeta de hoc cogitare non potuerit. Itaque de triumpho anno 725 habito aut de prioribus cogitavit. Sed ad hos cujusnam momenti erat Cantabros et Asianos posterioribus temporibus victos esse?

Itaque equidem in mea temporum constitutione persevero, praesertim quum mirandum sane sit, si hic Octaviani victoriae annis 712 et 718 reportatae penitus silentio praetermitterentur.

Ut paucis dicam, descriptiones temporum, quae in I III a 26—33 inveniuntur, annum 724 non egredi concludo.

Quod autem vidimus mense Sextili anni 725 totum opus absolutum fuisse, hoc exordium tertii libri, quoniam poeta in duobus ultimis libris conscribendis sex vel septem menses consumpsisse putandus est, ineunte anno 725 scriptum esse statuo.

---

[23]) cf. de his rebus Ribbeck. proleg pg. 21.

Sed vereor ne quis mihi sic occurrat ut sex mensibus Vergilium duos libros scribere potuisse neget[24]). Quod verum esse negaverim; nam Vergilius, qui singula leviter, ut ita dicam, attingit[25]) materiam agriculturae usu in universum cognitam habuit; deinde saepius Graecos et Latinos scriptores ad verbum transtulit[26]).

Quod denique scimus Vergilium quotidie plurimos versus mane dictatos retractando ad paucissimos redegisse[27]), non negabimus tamen unam certe cogitationem poetam quotidie scribendo absolvisse. Haec autem non 2—3 versus, sed 6—15 complectitur. Quos tamen paucissimos esse patebit, si consideraverimus Lucilium in una hora saepe ducentos versus dictasse[28]).

Itaque, si omnia breviter complector, nec discrepat cum Vergili ratione scribendi nec parum probabile est poetam sex mensibus duos libros scripsisse.

Sed his ego argumentis locos georgicon adjungam, quibus poetam ultimos libros otio non concesso scripsisse demonstratur.

Atque primum quidem III, 41 sq. haec invenimus:

Interea Dryadum silvas saltusque sequamur

---

[24]) Glaserus (Neue philol. Jahrb. 1874) Schapero haec opponit duobis annis Vergilium georgica scribere non potuisse.

[25]) vid. georg II., 42 sq.

[26]) Servius ad georg I, 43, Quintil. Instit. X, 1, 56; Heyne prooemium in georg pg. 269.

[27]) Donati vita 22 (33); Gellius N. A. 17, 10, 2; Quintil X, 3, 8.

[28]) Hor. Sat. 1, 4, 9 sq. et Lucilii fragm. 11, 6.

Intactos, tua, Maecenas, haud mollia jussa [29])

quibus versibus Maecenas poetam stimulat ut carmen absolvat.

Atque illum huic voluntati obsecutum esse deinde vidimus ex IV, 116:

Atque equidem, extremo ni jam sub fine laborum
Vela traham et terris festinem advertere proram
Forsitan et . . . canerem[30])

ubi poeta jam in initio ultimi libri dicit se ad finem operis accurrere.

Denique versu 147 se spatiis iniquis prohibitum esse ne plura scriberet, aperte confitetur.

Etiam l IV v 284 sq.:

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus
Singula dum capti circumvectamur amore[31])

demonstratur poetae ad cunctandum nullum spatium datum fuisse.

Itaque non dubito quin poeta duos ultimos libros ab ineunte ad medium annum 725 scripserit.

Restat ut in id inquiram, quando primus liber conscriptus sit.

In hoc libro de duobus locis vers. 24 sq. et 509 sq. mihi disputandum est.

---

[29]) ‚haud mollia jussa' dictum est de ratione jubendi haud ita indulgenti et placida; nam ‚haud mollia jussa' idem esse atque jussa rem difficilem imponentia, adduci non possum ut credam, quia poeta hoc si intellegi voluisset, ‚haud facilis', ‚haud levis' nescio an dixisset.

[30]) Poetam re vera consilium cepisse finiendi operis, non ex conjunctivis ‚traham' et ‚festinem', sed ex universa sententiarum serie et ex imperfecto ‚canerem' videmus.

[31]) His versibus poetam nihil aliud egisse nisi ut ab armentis ad oves et capras transiret mihi videtur non esse probabile.

Quorum quidem priore vers. 24—42 inter deos etiam Ceesar a poeta imploratur:

24 quem mox quae sint habitura deorum
concilia, incertum est

quum quidem ei et terra et mare et coelum pateat.

Eo tantum eum arcere studet poeta ne dominatum in Tartarum occupet. Quibus argumentis haec adjungit verba:

40 Da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis
Ignarosque viae mecum miseratus agrestes
Ingredere et votis jam nunc adsuesce vocari.

Quem locum ex versibus 24 et 25 manifestum est, non ante annum 718 scriptum esse, quia Octavianus ea re demum quod devicto Sexto Pompejo terra marique pacem reconciliavit et in ipsa Italia bonam rerum condicionem restituere studuit[32]), de civitate, si ad pristinum ejus statum respicimus, tam bene meritus est, ut Vergilius adulans eum immortalem futurum esse praedicere posset.

Illa verba enim, si poeta ante annum 718 scripsisset id est iis temporibus, quibus Octavianus magis factionis principem quam auctorem rei publicae salutis se praebuit[33]), atque quibus ejus auctoritas et potestas nondum constituta et stabilita erat, speciem ironiae et dissimulationis habuissent ita quidem, ut facile laedere et gravia esse potuerint.

---

[32]) Casius Dio 49, 16.

[33]) Versus 24 et 25 non ante scriptos esse quam senatus post pugnam Actiacam de divinis honoribus in Octavianum congerendis cogitaret, concicere non opus est, nam verbum ‚mox' non tam idem est atque ‚abhinc brevi tempore', quam summatim ‚postero tempore'. Imo Vergilium, quia ad Octaviani adulationem se demisisse videtur (cf. III, 32 et 33), concludere possumus jam post annum 718 divinos Augusto honores praedixisse, quum Octavianus inter deos municipales coli coeptus est (Appian b., c. v. 132),

Denique versus 40 sq., quibus Octaviani auxilium imploretur, carerent sensu, si scripti essent quum Octavianus ipse periclitabatur id est non multo ante proelium Actiacum[34]).

Hic locus igitur scriptus est aut inter annum 719 et ineuntem annum 722, aut post extremum annum 723.

Sed ut ad certam conclusionem veniamus, exquiramus temporum rationem, quae in libri primi versibus 498—514 inest.

Qui locus scriptus est intra tempora bellorum et scelerum

505 tot bella per orbem
tam multae sceletum facies . . .

quibus ipsa agricultura jaciebat,

506 non ullus aratro
Dignus honos; sqalent abductis arva colonis
Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.

Enumerantur haec bella et scelera:

509. hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum
Vicinae ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt; saevit toto Mars impius orbe

quae adeo ejusmodi fuisse videntur ut ipsi Octaviano periculum afferrent

500. Hunc saltem everso juvenem succurrere saeclo
Ne prohibete: Satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteae luimus perjuria Trojae

Nam hos versus ortos esse ex sollicitudine quadam non vana qua Romani afficiebantur propter Octavianum qui summum in civitate locum tenens solus s u c c u r r e r e s a e c l o potuit, quicunque diligenter legit mihi concessurum esse existimo.

---

[34]) Schaper pg. 6.

Quodsi quaerimus quo tempore haec verba scripta sint, ultro, si versus 500 et 509 spectamus, in quibus solis certa aetatis indicia inesse videntur, ad tempora pugnae Actiacae praecedentia adducimur; nisi illo tempore enim post annum 718 Octavianus non periclitatus est. Illo autem tempore quum Euphrates vel gentes orientis cum Cleopatra consociatae bellum movebant, tum Germania[35]), nam verisimile est illo ipso tempore quo Octavianus ab Italia aberat, Suevos Rhenum transgressos esse.

Ex ceteris versibus nihil certi concludi potest[36]), quandoquidem ii non tam temporibus anguste circumscriptis quam omnino temporibus bellorum civilium videntur accommodari posse[37]).

Hunc autem totum locum post annum 718, at neque annis 713 et 714[38]), neque anno 717[39]) neque anno 718[40]) scriptum esse, etiamsi hic vel ille versus ad haec tempora referri posse videtur, vel versu 503

Jam pridem nobis coeli te regia, Caesar;
Jnvidet

demonstrari potest, qui scribi non potuit nisi quum Octavianus jam dudum dignus erat, qui in concilium deorum reciperetur, id est, ut supra vidimus, post annum 718.

---

[35]) Dio 51, 21 dicit Agrippam, qui jam anno 716 contra Germanos pugnaverat, Suevos Rhenum transgressos repulisse, sed quo tempore id factum sit memoriae non prodidit. Ex Aen. VIII, 726 sq effici tamen videtur medio anno 725 et Rhenum et Euphratem ad tempus certe pacatos fuisse, ut Suevorum incursionem ante hoc tempus factam esse, conicere possimus.

[36]) cf. Ribbeck. proleg. pg. 17.

[37]) Schaperus (pg. 4) versum 511 ,s a e v i t t o t o M a r s i m p i u s o r b e' affeet ut demonstret hunc locum anno 723 scriptum esse. Neque enim prius quam bellum inter Antonium et Octavianum ortum esset ,s a e v i s s e t o t o o r b e i m p i u m M a r t e m'.

[38]) Glaser, Neue philol. Jahrb. v. 1874.

[39]) Heyne edit. Virg.

[40]) Forbiger, editio Virgili.

Ut paucis repetam, primis hujus libri versibus civitas in pace et tranquillitate vivens depingitur quum extremis sollicitudine et bellis turbetur.

Inde concludo, quia hujus libri finem ante pugnam Actiacam scriptum esse statuimus, initium ineunte anno 722 scribi coeptum esse.

Jam vero, quoniam poetam secundum librum circiter medio anno 724 scribere coepisse ostendimus, inter primum et secundum librum spatium paene unius anni interjectum est.

Quod probare possumus ex II, 39 sq., qui locus sic scribitur

Tuque ades inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxima nostrae,
Maecenas, pelagoque volans da vela patenti;
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
Non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
Ferrea vox; ades et primi lege litoris oram,
In manibus terrae[11]).

Hic, si totum locum respicimus, versibus 42—45 poeta illas Maecenatis adhortationes reicit, ut agriculturam per omnes partes tractet. Maecenas vela et cursum navis non perpetuo in infinitum mare dirigat sed praeter litora naviget, unde terra conspici possit, id est non latius et uberius poe-

[11]) Peerlkampus (Mnemosyne X pg. 138), versuum 41 et 42 ordine immutato ‚da‘ in ‚dare' commutat, quam transmutationem Ribbeckius (prol. pg. 45) comprobat. Sed ex imperativis ‚ades‘ ‚decurre', sequi videtur, ut Schaperus pg. 14 adnotat, etiam hic imperativum ‚da' ponendum esse. Accedit quod verba ‚pelagoque volans da vela patenti' et ‚primi lege litoris oram' mea quidem sententia sibi non dissentiunt, neque enim navis secundum litus iter facere potest, nisi velis antea pelago patenti datis.

tam de hac materia dicturum esse, quo facto quia difficile sit statim si quis optaverit ad scribendi finem pervenire, sed potius ipsum id pertractaturum esse, quod omnibus conspicuum sit.

At Vergilius, cur haec in secundo demum libro exponit? Primumne librum scripserat postquam cum Maecenate de tractanda materia locutus erat? — Maecenas, etiamsi georgica conscribi notum ei fuisse credibile est, non tamen videtur ipse adjutor fuisse componendi primi libri, nam in hoc semel breviter commemoratur. Accedit quod, si Maecenati compositio primi libri maximae curae fuisset, poetae versu 42 dicendum erat: „pelagoque volans denuo da vela patenti.“

Quod quum non fecerit conicimus Maecenatem non prius qua ratione res tractata esset perspexisse quam ei poeta primum librum, proponeret judicandum.

Ex hac igitur argumentatione videmus quo factum sit ut tantum temporis spatium inter conscriptum primum librum et secundum interponeretur.

Nisi hoc interjectum fuisset, explicare non possemus convenientiam nonnullorum hujus libri locorum cum Horatii satira prima libri primi. Sed eodem illo otio Vergilium usum esse probabile est ad Horatio, amico suo, primum georgicon librum, postquam conscripsit, recitandum[42]).

Ut jam ad summam commentationis veniamus, poeta in scribendo primo libro plurimum temporis consumpsit et plus quidem quam in secundo libro, quod nescio an eam ob causam factum sit quod poeta etiam tum singulis rei partibus penitus cognoscendis et percipiendis occupatus erat.

[42]) Ribbeckii proleg pg. 17.

Secundum igitur librum Vergilius celerius, tertium et quartum autem celerrime conscripsit, ita quidem ut in toto opere componendo tres annos cum dimidio consumeret.

Sed meam sententiam tum demum omnibus comprobatum iri puto, si demonstravero cur ultimi libri tam celeriter conscripti sint.

Atque existimo hoc intellegi posse ex illo, quem supra attulimus, Donati loco, in quo de recitato post reditum Augusti carmine exponitur [43]).

Quam enim cupidus Octavianus fuerit legendorum Vergili carminum ex Donato 31 (= 46) cognitum habemus, qui haec scribit: Augustus vero — nam forte expeditione Cantabrica aberat — supplicibus atque etiam minacibus per jocum literis efflagitaret ut sibi de Aeneide vel prima carminis ὑπογραφή vel quodlibet κῶλον mitteretur.

Nonne igitur credibile est Octavianum, postquam Vergilium georgica canere audivit, petiisse ut sibi ex Asia redeunti carmen recitaretur, aut Maecenatem Octaviano, amanti carminum, recitandis quum rediisset, georgicis laetitiam praeter opinionem afferre voluisse?

Quo alio modo explicari potest Maecenatem in tertio libro (III, 40 sq.) poetae, qui otio fruebatur, subito instare, ut georgica nondum absoluta longius persequatur; qua alia re cerni possunt spatia iniqua (IV, 147)? quid aliud efficit ut poeta jam in ineunte quarto libro (v 115) se maturare opus finire dicat, nisi quod Maecenas optaverat ut opus ante Caesaris reditum absolveretur?

---

43) Reifferscb. Suet. pg. 61.

Imminente igitur reditu factum esse concludo ut Vergilius tempore otioso, quo post conscriptum secundum librum frui volebat vel coeperat, interrupto tertium librum et quartum celeriter conscriberet, quum ad primum et secundum librum componendum nihil esset, cur properato esset opus.

II.

Georgica igitur annis 722—725 scripta esse temporum descriptionibus, quae in ipso carmine inveniuntur, aperte significatur.

Quum autem Donati et Servii testimoniis [44]), quae supra attuli, intra septem annos Vergilium georgica perfecisse id est scripsisse et emendasse, comprobetur, anni 725 - 728 emendando tribuendi sunt.

Sed quomodo poeta emendaverit, utrum quidem singula verba mutaverit an magna additamenta fecerit, deinde num omnes libros aequaliter emendaverit, memoriae traditum non est.

Id tamen, quia temporum rationes, quae in carmine insunt, emendatione non turbatae sunt [45]), sine ulla dubitatione confirmaverim emendando non graves carminis factas esse mutationes.

---

44) Donati vita 25 (40), Georgica septem perfecit annis et Servii vita Vergili: item proposuit Maecenas georgica, quae scripsit emendavitque septem annis.
45) Teuffel, Literaturgesch. 2. Aufl. pg. 446.

At Schaperus putat nulla alia re emendationem cerni posse nisi mutato exitu quarti libri, in quo quidem, quum Gallus in Augusti odium incurrisset, illius laudes cum fabula Aristaei commutatas esse, veteres scriptores narrant [46]).

Sed neque haec mutatio unquam emendatio nominatur, neque illud retractare idem est, quod aliis in operibus emendationem esse intellegimus.

Quodsi equidem emendando poetam extremum perpoliendi laborem ad opus adhibuisse existimo, cum Schapero tamen ita sentio ut hanc quarti libri mutationem, si quidem illi narrationi fidem habere licet, in emendandi tempora id est in exeuntem annum 728 cadere putem, ut haec mutatio utrum emendatio nominetur an non, ad rei summam certe idem valeat.

Georgica autem editane sunt a poeta? Id testimoniis non diserte dicitur. Nam quod ex Donati vita [47]) supra allatum est: ad bucolica transiit, ut Asinium Pollionem . . . celebraret . . . deinde georgica in hono-

[46]) In Servii commentariis ad eclog X, 1 (Lion. II., 162) haec scripta invenimus: ‚fuit autem (Cornelius Gallus) amicus Virgilii adeo ut quartus georgicon a medio usque ad finem ejus laudes teneret, quas postea jubente Augusto in Aristaei fabulam commutavit' et ad georg IV, 1 (Lion II. 288): ‚sane sciendum... ultimam partem hujus libri esse mutatam. Nam laudes Galli habuit locus ille qui nunc Orphei continet fabulam, quae inserta est postquam irato Augusto Gallus occisus est'. Idem Donatus (Reiffersch. Suet. pg. 60) iisdem fere verbis memoriae prodit. Quae a grammaticis ficta esse nonnulli putant, sed si sententiarum ordine spectato viderimus hanc Aristaei fabulam non tam necessariam esse ad consilium totius operis, non negaverim fieri posse, ut in his testimoniis aliquid auctoritatis insit.

[47]) Reiffersch. Sueton pg. 50.

rem Maecenatis edidit, qui sibi . . opem tulisset, novissime Aeneidem inchoavit hic nihil ponderis habet. Quia enim grammatici hic non interest nisi ut demonstret, quo consilio et quo ordine carmina scripta sint, verbum edidit hic universe de scribendo dici non abhorreat a vero.

Certiora assequi possumus ex hoc Pseudo-Servi loco (Lion I, 1), qui est ex prooemio in commentarios Servianos supra prolatus: georgica scripsit emendavitque septem annis. Aeneidem scripsit annis undecim, sed nec emendavit nec edidit, quo loco si ad id respicimus quod hic prioribus verbis ex illis posterioribus nec emendavit nec edidit cogitatione opponendum est, Vergilium georgica emisisse verisimillimum fit.

Denique ex illis Donati verbis (Reiff. pg. 63): Tunc eidem Vario ac simul Tuccae scripta sub ea condicione legavit ne quid ederent quod a se editum non esset quibus si continentem orationem spectas, heredibus interdicitur, ne Aeneidem ineditam ederent, plane sequi videtur bucolica et georgica ab ipso poeta edita fuisse.

Atque quid causae erat cur georgica, quae per septem annos scripta et emendata erant, non ederentur, quum bucolica per tres annos scripta et emendata etiam edita sint? nonne emendando utrumque opus ad edendum idoneum factum est?

Quod autem Tittlerus putat Vergilium totius carminis nullum alium librum nisi primum et secundum edidisse, prorsus abhorret a vero; Neque enim poeta in exordio atque in fine operis omnium quatuor librorum argumenta comprehendisset et brevi circumscripsisset [48]) neque tertium librum cum

[48]) georg I, 1—5 et IV, 559, sq.

secundo conjunxisset[49]) si duo priores libros separatim edidisset ita ut a posterioribus penitus sejungerentur[50]).

Itaque id dubitari non posse puto quin poeta, quum ederet, omnes libros ediderit; sed inprimis nobis nunc quaerendum est quo tempore eos ediderit.

Ac Schaperus poetam georgica anno 725 edidisse existimat, priusquam ea emendaret. Sed, ni fallor[51]) hoc ex eodem Servii loco, quem modo memoravi: Aeneidem . . . scripsit annis undecim; sed nec emendavit nec edidit collegit quem tamen ad hanc disputationis partem nullius esse momenti puto. Nam si quidem, ut Schaperus vult, in verbis nec edidit nec emendavit gradatio inesset, inde sequeretur poetam opus edidisse priusquam id emendaret. Sed mea quidem sententia haec gradatio in illis enuntiati membris non inest; nam quae notiones particulis neque . . neque separatae sunt, eandem gravitatem habent. Si grammaticus hanc gradationem significare voluisset, nescio an clarioribus usus esset verbis ut his: non modo non emendavit, sed ne edidit quidem.

Itaque hoc tantum ex illis verbis concludi potest et emendationem et editionem potuisse sequi compositionem, non vero editionem antecessisse emendationi.

---

49) georg III, 1 Te quoque, magna Pales-canemus.

50) cf. Schaper pg. 8 et 9.

51) Tittlero (pg. 4) dicenti ‚nec edidit nec emendavit' ne rectam quidem gradationem praebere, opponit Sohaperus (pg. 2) haec: Certe, si Vergilius carmina ante editionem non solum retractasset sed etiam emendasset. Is autem quae scripserat retractavit, retractata edidit, edita emendavit.

Aliis igitur de causis constituendum est utrum poeta prius ediderit georgica an emendaverit.

Plerumque poetas emendasse opera non edita ab omnibus concessum est. Hoc etiam hic concessum velim, quia non probabile est poetam opus, quod magna ex parte celeriter scriptum esse demonstravimus, edidisse inemendatum.

Quid porro magis abhorret a vero quam Octavianum, quum opus jam editum esset, a poeta postulasse, ut laudes Galli in fabulam Aristaei mutaret atque poetam ejus postulationi obsecutum esse?

Sed ut hoc ita esse concedam quomodo explicari potest quod ne vestigium quidem prioris editionis reliquum est, quum Augusti temporibus satis multa editionis exemplaria differri solerent?

Denique si georgica ante emendationem edita esse dicimus, quidni de bucolicis eadem conicimus?

His commotus argumentis poetam georgica non prius edidisse concludo, quam ea emendavit, id est anno 728.

Sed haec poetae editio nostrone georgicon textui subest, an textus etiam post editionem sive poetae emendationibus sive altera aliorum editione mutatus est?

Atque Ribbeckius quidem (proleg 29), veterum scriptorum testimoniis nisus eam conjecturam proponit poetam georgica edita, ut denuo ederentur, emendare perrexisse, sed quum subita morte consumptus esset non ipsum, sed Varium et Tuccam ipsius heredes georgica denuo edidisse ita tamen ut vestigia imperfectae eorum recensionis in carmine relicta sint.

Atque etiam Tittlerus, Wagnerus, Ladewicus, Peerlkampus[52]) a poeta post editionem nonnulla emendata esse existimant, etiamsi non diserte dicunt haec novae editionis causa facta esse.

Itaque nobis primum quidem quaerendum est num veterum scriptorum testimoniis aut causis ex re ipsa repetitis confirmetur poetam georgica postquam emendata et edita sunt, emendare perrexisse.

Ac maximum argumentum quo Ribbeckii opinio nititur, ex Servii commentariis[53]) sumptum est quibus demonstretur poetam finem quarti libri circiter anno 728 mutasse, postquam antea anno 725 opus ediderit. Quam mutationem quum in tempora editioni praecedentia incidere demonstraverimus hoc Ribbeckii argumentum fractum et debilitatum est.

Alterum argumentum quod Ribbeckius ad conjecturam suam probandam ex Gellio[54]) affert, nihil habet auctoritatis et fidei. Nam his verbis: „Scriptum in quodam commentario repperi, versus istos a Vergilio ita primum esse recitatos atque editos:

Talem dives arat Capua et vicina Vesevo
Nola jugo:

postea Vergilium petiisse a Nolanis aquam uti duceret in propinquum rus': Nolanos beneficium petitum non fecisse: poetam offensum nomen urbis eorum quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse oraque pro Nola mutasse: atque ita reliquisse: et vicina Vesevo ora jugo." Gellius ipse adjungit haec: „Ea res verane an falsa sit non laboro; quin tamen melius suaviusque ad auris sit „ora" quam „Nola" dubium id non est. Nam vocalis in priore versu extrema eademque in sequenti prima canoro simul atque jucundo hiatu tractim sonat."

Atque Gellius quia quid canorum sit spectans „ora" ab ipso poeta scriptum esse praecipue et diserte commemorat hac ipsa commemorandi ratione significare voluisse videtur dubitationem sibi allatam esse num „Nola" a poeta unquam positum sit. Itaque Gellius non de causa mutationis, sed de ipsa mutatione dubitavit.

Accedit quod si quidem Gellio in hac subtilium quaestionum genere credimus nobis coniciendum est poetam statim quum scriberet vel emendaret id reperisse, quod optimum sonum referebat.

Praeterea ex quo fonte Gellius haec verba hauserit nescimus, nam quod Kretzschmerus[55]) et Merklinus[56]) putant Gellium hoc ab Julio Hygino, Augusti liberto qui bibliothecae Palatinae praeerat, sumpsisse,[57]) negandum est vel ea de

52) Mnemosyne X, 123
53) Servius ad eclog X, 1 et georg IV, 1.
54) Gellius VI, VII, 20.

55) Dissert. de Gell. font. pg. 77.
56) annal. philol. 1861 pg. 722.
57) Hic mihi liceat exponere de Hygini commentariis Vergilianis quid sentiam.

Ex nonnullis enim Hygini fragmentis, quae a Gellio (1, 21; 5,8; 6,6; 10,16; 16,6) et Servio (ad Aen. 2,15; 7,47; 12,120;) afferuntur Hyginum commentaria in Vergilium composuisse conclusum est: et recte quidem. Nam etiamsi duobus modo locis certus Hygini operis titulus profertur et id quidem a Gellio I, 21, 2: „Hyginus autem, non hercle ignobilis grammaticus in commentariis, quos in Vergilium fecit" et 16, 6

causa. quod existimare non licet aequalem Vergili res fictas et commenticias memoriae prodidisse.

Hyginus tamen Julius in quarto librorum, quos de Vergilio fecit", accuratius tamen haec librorum inscriptio profertur quam ut ad hunc scriptorem illam Heynii sententiam referendam esse existimem commentatores, nisi certus librorum titulus nominetur, putandos esse Vergilium non separatis libris interpretatos esse sed de poeta in aliis libris oblata occasione quaedam adnotavisse.

Praeterea Gellium, quoniam in allatis titulis saepius haesitat neque sibi constat (Mercklin. de font Gell. pg. 659 et Bunte, de Hygini vita etc Diss pg. 29) duobus his locis idem Hygini opus significare, etiamsi non eadem inscriptio affertur, concludi potest

Atque in hoc opere de Vergilio composito videtur Hyginus non de omnibus poetae locis, sed de locis maxime memorandis sententiam suam exposuisse, et ita quidem ut ad reprehendendum nimis proclivis, ut ex Gellio 5, 8; 6, 6; 10, 16 apparet, multa in Vergilio vituperanda investigaret. Itaque negari non potest Hyginum Vergili obtrectatorem fuisse quod quidem a Mercklino (Gell. Citiermethode pg. 659 u. 660) ita concessum est ut etiam hos Gellii locos: II, 6, 1; XVII, 10, 6; X, 29, 4, quamquam auctor non nominatur, ad Hyginum referat, quoniam hic in omnibus paene commentationibus poetam reprehensione affecerit.

His breviter de operis argumento expositis, nunc quaeramus num Hyginus ille idem sit atque Julius Hyginus, Augusti libertus.

Atque quoniam Gellius (16, 6) Julium Hyginum nominat, quem non hercle ignobilem grammaticum fuisse (1, 16) dicit, non incredibile est Gellium de liberto Augusti cogitavisse

Sed mirandum est Macrobium (Sat. VI, 9), qui eadem quae Gellius (16, 6), sed multo diligentius et rectius exponit, auctorem nominare Hyginum omisso nomine gentilicio.

Servius denique citat Hyginum, quem num Augusti libertum intellegat non liquet.

Sed quia neglegentia quaedam citandi apud veteres scriptores nihil insoliti habet, per se negari non potest Macrobium et Servium cogitasse de Julio Hygino.

Sed equidem si accuratius in hanc quaestionem inquiro, non leves causas esse video cur hunc Hyginum intellegendum esse Vergili aequalem negem.

Primum enim abhorret a veri similitudine aequalem Vergili in hujus opera commentarios composuisse, praesertim quum Vergilius non difficilis esset ad intellegendum. Nam quod Suetonius (gram. 16) profert: „Caecilius Epirota amicus Cornelii Galli primus dicitur... Vergilium et alios poetas novos praelegere coepisse", dictum est de legendi exerci-

Rem autem absurdissimam esse[58]) his de causis concedendum esse existimo. Primum enim poetam in agro Nolano

---

tatione, non de commentariis in Vergili carmina compositis, quae Valeri Probi demum temporibus videntur emissa esse.

Atque illum Julium Hyginum Vergli carminibus obtrectasse non magis credibile est. Num enim conicere possumus Julium Hyginum qui ab Augusto manumissus Palatinae bibliothecae praefectus erat, tam importunum et protervum fuisse ut id opus reprehenderet, quod ut sibi recitaretur deinde ederetur, Augustus tam vehementur postulaverat? (Donat. 31 [46]; 41 [59]).

Deinde qui fit ut Julius Hyginus in vita Donati inter obtrectatores Vergili usque ad Asconii Pediani tempora citatos non commemoretur? Qua re nescio an demonstretur, hunc Hygini commentarium ante tempora Suetoni, a quo Donati vita sumpta est, non ortum esse.

Porro, quod Gellius I, 21 dicit: „Hyginus confirmat et perseverat non hoc (georg II, 247: sensu amaro) a Vergilio relictum sed quod ipse invenerit in libro, qui fuerit ex domo atque familia Vergilii (amaror.)" ut per se non abhorret a vero praefectum Palatinae bibliothecae habuisse exemplar poetae, sic, si quidem id in manibus habuit, offendit, ut Gruppius (Minos) adnotat, Hyginum virum fide dignissimum hoc affirmare et perseverare. Etiam hoc vim habere, non negaverim ad coniciendum hoc scriptum esse a scriptore posterioris aetatis, qui quum tale exemplar non haberet, magna asseveratione fidem facere conaretur.

His adductus causis existimo ab Julio Hygino, Augusti liberto, commentarium georgicon non scriptum esse sed Gellium simodo hunc intellexit hac in re errasse. Atque quoniam notum est non modo nomen Hygini imperatorum temporibus saepissime inveniri, sed etiam nomen gentilicium Julii, sane non incredibile sit hunc Vergili commentarium ortum esse ab aliquo grammatico posterioribus temporibus viventi, cui eidem nomen fuit Hyginus vel Julius Hyginus.

Quodsi quaerimus quibusnam temporibus hic commentarius ortus sit, nescio an ex hoc Servii loco ad Aen. 12, 120 allato: ‚Caper et Hyginus hoc loco dicunt lectionem esse corruptam" hoc etiamsi non certo, attamen conicere possimus Caprinum et hoc opus, quod Hygini nomine notum erat, iisdem temporibus orta esse, id est Suetoni temporibus vel exeunte primo saeculo.

Quibus cum temporibus optime conveniat, quod Mercklinus putat Gellium non ipum Hygini commentarium sed ejus excerpta in Sulpici Apollinaris quaestionibus epistulicis legisse.

praedium habuisse non notum est. Deinde quis credat poetam tam pusilli atque angusti animi fuisse, ut humili privatae utilitatis cupiditate non expleta commoveretur ut nomen Nolanorum ex carmine suo eraderet? Denique poetam id quod in animo habuisse dicitur, ut nomen Nolanorum quasi ex hominum memoria eraderet, eo effici credidisse quis putet, quod postquam editum carmen jam in omnes Italiae partes dilatum erat, nomen Nolanorum ex suo exemplari eraderet?

Sed Philargyrius[59]) qui hic ex eodem fonte quo Gellius hausisse videtur ne dicit quidem post editionem demum opus emendatum esse

Itaque illud Gellii testimonium non aptum esse ad probandam Ribbeckii conjecturam existimo.

Sed nunc quidem auctoritatem examinemus ceterorum testimoniorum, quum quidem haec a Ribbeckio ita intellecta sint, quasi ex iis efficiatur poetam georgica jam edita emendare perrexisse.

Ribbeckius enim dicit[60]): „illi autem testimonio olim alia non minus certa Servii ac Philargyrii

---

Atque ut summam ex hac argumentatione confectam ad nostram transferamus quaestionem, perspicue, si a scriptore huius aetatis illa fabula de verbo „Nola" in „ora" mutato ficta est — id quod equidem non nego—quam ea fide non digna sit videmus.

[58]) M. Hauptius in ind. lect. Ber. 1857 pg. 4 hanc narratiunculam ad commenta et fabulas rettulit, quibus Vergili nomen tempore satis antiquo cumulari coeptum sit.

[59]) Philarggrius (georg II, 225): ora, et hoc emendavit ipse quia Nolam posuerat. Nam postea offensus a Nolanis, qui eidem aquam negaverant, „ora" pro „Nola" posuit.

[60]) Ribbeckii proleg pg. 24.

adjunxi ... Tradunt autem talia: emendavit ipse; emendatum fuit; prior lectio; ipsius manu; ipsius manu duplex fuit scriptura; ipsius manu adjectum; ipsius manu adjecti deletis duobus."

Ribbeckius igitur putat ex Servii et Philargyrii testimoniis certo intellegi posse, quid poeta emendaverit.

At mirandum tamen est quam illorum commentatorum testimonia inter se dissentiant. Nam ad georg IV. 231 Philargyrius „flores" emendatum esse dicit, quum in Servii commentariis ad eundem locum „fetus" legatur. Deinde Philargyrius ad georg II. 344 et IV. 141 duplices fuisse scripturas declarat, quum Servius has non memorans unius modo lectionis notitiam habuisse videatur. Atque de georg II. 322 denique Philargyrius dicit: „Celsus ait germina reliquisse poetam;" Servius autem in eodem versu verbum „gramina" affert.[61]) Haec secum pugnantia non efficere ut magna commentariis afferatur fides, quis non intellegat?

Sed nunc inquiramus in Philargyrii testimonia quorum auctoritatem Ribbeckius[62]) magni existimat.

At primum quidem notum est excerpta scholiorum Philargyrii, quae primum ab Ursino ex Vaticano 3317 edita sunt, non omnia orta esse ex deperdito ipsius Philargyrii commentario.[63])

Itaque nobis quaerendum est num ii loci, qui hic afferendi sunt, ab ipso Philargyrio sint profecti et ita quidem ut

---

[61]) Ii loci in quibus Servius lectiones a poeta emendatas esse memorat, a Philargyrio omnino non tractati sunt.

[62]) proleg pg. 193.

[63]) Wagner edit II pg. 22.

praedium habuisse non notum est. Deinde quis credat poetam tam pusilli atque angusti animi fuisse, ut humili privatae utilitatis cupiditate non expleta commoveretur ut nomen Nolanorum ex carmine suo eraderet? Denique poetam id quod in animo habuisse dicitur, ut nomen Nolanorum quasi ex hominum memoria eraderet, eo effici credidisse quis putet, quod postquam editum carmen jam in omnes Italiae partes dilatum erat, nomen Nolanorum ex suo exemplari eraderet?

Sed Philargyrius[59]) qui hic ex eodem fonte quo Gellius hausisse videtur ne dicit quidem post editionem demum opus emendatum esse

Itaque illud Gellii testimonium non aptum esse ad probandam Ribbeckii conjecturam existimo.

Sed nunc quidem auctoritatem examinemus ceterorum testimoniorum, quum quidem haec a Ribbeckio ita intellecta sint, quasi ex iis efficiatur poetam georgica jam edita emendare perrexisse.

Ribbeckius enim dicit[60]): „illi autem testimonio olim alia non minus certa Servii ac Philargyrii

Atque ut summam ex hac argumentatione confectam ad nostram transferamus quaestionem, perspicue, si a scriptore huius aetatis illa fabula de verbo „Nola" in „ora" mutato ficta est — id quod equidem non nego — quam ea fide non digna sit videmus.

[58]) M. Hauptius in ind. lect. Ber. 1857 pg. 4 hanc narratiunculam ad commenta et fabulas rettulit, quibus Vergili nomen tempore satis antiquo cumulari coeptum sit.

[59]) Philarggrius (georg II, 225): ora, et hoc emendavit ipse quia Nolam posuerat. Nam postea offensus a Nolanis, qui eidem aquam negaverant, „ora" pro „Nola" posuit.

[60]) Ribbeckii proleg pg. 24.

adjunxi ... Traduntautem talia: emendavit ipse; emendatum fuit; prior lectio; ipsius manu; ipsius manu duplex fuit scriptura; ipsius manu adjectum; ipsius manu adjecti deletis duobus."

Ribbeckius igitur putat ex Servii et Philargyrii testimoniis certo intellegi posse, quid poeta emendaverit.

At mirandum tamen est quam illorum commentatorum testimonia inter se dissentiant. Nam ad georg IV. 231 Philargyrius „flores" emendatum esse dicit, quum in Servii commentariis ad eundem locum „fetus" legatur. Deinde Philargyrius ad georg II. 344 et IV. 141 duplices fuisse scripturas declarat, quum Servius has non memorans unius modo lectionis notitiam habuisse videatur. Atque de georg II. 322 denique Philargyrius dicit: „Celsus ait germina reliquisse poetam;" Servius autem in eodem versu verbum „gramina" affert.[61]) Haec secum pugnantia non efficere ut magna commentariis afferatur fides, quis non intellegat?

Sed nunc inquiramus in Philargyrii testimonia quorum auctoritatem Ribbeckius[62]) magni existimat.

At primum quidem notum est excerpta scholiorum Philargyrii, quae primum ab Ursino ex Vaticano 3317 edita sunt, non omnia orta esse ex deperdito ipsius Philargyrii commentario.[63])

Itaque nobis quaerendum est num ii loci, qui hic afferendi sunt, ab ipso Philargyrio sint profecti et ita quidem ut

[61]) Ii loci in quibus Servius lectiones a poeta emendatas esse memorat, a Philargyrio omnino non tractati sunt.

[62]) proleg pg. 193.

[63]) Wagner edit II pg. 22.

eos cum scholiis Bernensibus comparemus, quia eadem magna ex parte a Philargyrio vel Junilio Flagrio — ita enim illis nominatur — sumpta sunt.

Quum autem de nostris locis, quia unus codex silentio praetermittit, quod alter affert, comparatio omnino fieri non possit[64]) haec testimonia re vera ab ipso Philargyrio originem trahere potuisse per se negari non potest.

Sed haec quidem quaestio mihi videtur levior esse. Gravior est illa undenam Vergili commentator, sive Philargyrius nominatur sive vocatur alio nomine, haec testimonia sumpserit; nam ipse posterioribus temporibus vixisse videtur quam qui oculis videre potuerit quod poeta emendaverat.

Ac Ribbeckius quidem[65]) Philargyrii testimonia originem trahere putat a Cornelio Celso, qui imperante Tiberio vixit, nam ad georg II. 331 a Philargyrio ipso Celsum nominari auctorem alicujus lectionis.

Quam sententiam Ribbeckius pluribus persequitur. Atque ex eo quod in proleg. pg. 27 dicit: „Quid si Corneli Celsi nostri exemplar intellegamus qui hic quoque, quod reliquerat poeta, in textum suum receperit?“ sequi videtur eum credidisse Cornelium ex ipso poetae exemplari sive recta sive circuitione quadam in suum textum vel commentarios recepisse quod hic reliquerat.

At quamvis perpicuum sit Cornelium exemplar ipsius poetae, si modo sibi comparavit, nullam aliam ad rem sibi comparasse, illi tamen opinioni haec testimonia ex poetae exemplari orta esse id repugnat quod, si talibus adjumentis et auxiliis temporibus satis antiquis integer poetae textus re-

[64]) Ad georg IV, 141 tantum Vaticanus et Bernensis quodam modo consentiunt.

[65]) proleg pg. 25.

stitutus esset, hunc ita non observatum et spectatum esse, explicari non potest, ut falsa omnibus temporibus servata et retenta sint.

Atque Ribbeckius quod porro censere videtur Cornelium Celsum perpetuum georgicon commentarium scripsisse,[66]) ad quem Philargyrius omnibus locis respicere potuisset, quomodo explanat quod Philargyrius in scripturis saepius haesitat ut in georg II. 383 et III. 3, 305?

Sed nunc videamus qualia sint illa Philargyrii testimonia. Ad georg II, 344 (Lion II, 331)

Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet coeli indulgentia terras.

Philargyrius dicit: iret etc. i e. interveniret: Fuit autem prior lectio: frigusque colorque; ut Plautus: Neque frigus neque calor metuo neque ventum neque grandinem. Aliter hypermetrus versus erit. Quibus ex verbis patet Philargyrium a poeta hypermetros versus vitatos esse existimasse, quum ad georg I, 295, hypermetrum interpretatus, declarat hos non esse vitiosos.

Ut igitur Philargyrius in hac quaestione sibi non constat sic ei omnino concedi nequit Vergilium unquam calorque scripsisse. Nam etiamsi haec lectio in codice Palat. invenitur, substantivum calor tamen nunquam ab ullo scriptore neutro genere usurpatum esse constat[67]).

[66]) Hoc inde concludo quod Ribbeckius Cornelium Celsum nominat grammaticum in scriptores perpetuo commentario illustrandos intentum.

[67]) Illius versus Plautini qui est Merc. V, 2, 12 Ritschelius omnem tollit difficultatem, sic scribens: „neque mihi ulla opsistet amnis nec mons neque adeo mare Nec calor nec frigus: metuo neque ventum neque grandinem.“

IV, 231. bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis. Philargyrius (Lion II, 343): fetus, „flores" emendatum fuit, et bene gravidos flores, quod ex his omnia generant. — Sed haec interpretatio ab editoribus non comprobata est. Itaque ab iis ne id quidem concedi potest verbum flores emendationem verbi fetus esse.

IV, 141 mella favis: illi tiliae atque uberrima pinus. Philargyrius (Lion II, 341): Ipsius manu duplex fuit scriptura, tinus et pinus uberrima, hic pro plurima. Fructum enim tinus nullum fert, sed multa semina facit[68]. Ut haec interpretatio valde contorta est, sic omnino abhorret a vero poetam tinus scripsisse, quum hic nihil nisi pinus quia haec prope alvearia seri solebat[69], recte afferri potuisse videatur.

Videmus igitur quam levia et infirma haec testimonia sint, quae ab auctore gravissimo et fide dignissimo Cornelio Celso sumpta esse facere non possum quin negem.

Nec certiora sunt Servii testimonia, quae ad hanc quaestionem referenda sunt. Quae omnia in nonnullis modo codicibus exstare mirum est. Inde haec Servio non deberi conclusum est[70]. Sed horum locorum, qui in paucis modo libris inventi etiamsi Servii textui additi, attamen quasi spurii a Lione uncis inclusi sunt, quoniam adhuc quaestio non instituta est quinam ei debeantur qui posteris temporibus Servii commentarium pertractavit, quinam alicui scholiastae, qui satis antiquis scripsit temporibus, nunc de singulorum fide quaerendum est.

[68]) cf. Schaper pg. 36.
[69]) Colum IX, 4.
[70]) Thilo. Rhein. Museum XV, 148.

Ac primum quidem ex duobus Servii testimoniis a Ribbeckio allatis nihil sequi videtur de georgicis post editionem emendatis.

Nam ad georg I, 66:

Pulverulenta coquat maturis solibus aestas.

in Servii commentariis hoc scriptum invenimus: ipsius manu adjectum „maturis solibus"[71]. Sed haec verba metri causa deesse nunquam potuerunt. Itaque etiamsi scribam ea omisisse non negaverim, in poetae tamen exemplari ea inde a primo scripta fuisse sine dubio confirmaverim.

Praeterea Ribbeckius attulit Servii locum corruptum et lacunosum, qui ne commemoratur quidem in Thilonis editione. Ad georg I, 67 enim, postquam de verbo arcturus in versu 68 scripto, quid sibi velit expositum est, apud Servium haec legimus: Manu adjecti sunt deletis duobus, quorum alter totus legi . . . potuit: „Illic officiant segetes ne frugibus illis": ex altero hoc tantum: „ne deserat humor arenam".

Quae verba, quandoquidem ad versum 67 scripta sunt, ita intellegenda esse videntur, versus 67 et 68 manu adjectos esse, postquam corrupti versus 69 et 70 deleti essent. — Versus 69 et 70 igitur antiquiores fuisse videntur quam versus 67 et 68. Sed in illis particulae hic, quam in corrupto versu 70 verbum illic secutam esse conicere debemus, sententia non subfuisset nisi praecessissent versus 67 et 68, nam nisi ad hos verbum hic referri non potuit. Omnes quatuor igitur versus necessarii sunt et a poeta scripti fuerunt a primo.

[71]) ‚Maturis solibus' pro ‚frugibus' adjectum esse (prol. 24) apud Servium scriptum non inveni.

Sed nescio an aliquis dicat versus 69 et 70 successisse in locum illorum duorum corruptorum. Hic tamen non coniciet poetam primum corruptos versus quorum alteri integro ne sententia quidem subesset, scripsisse et edidisse atque multo post demum emendasse, sed concedet poetam inde a primo rectum scripsisse.

Itaque his locis, si quidem eis fidem habemus, non de parata emendatiore recensione sed de correctis librariorum mendis cogitandum est.

Sed nunc videamus cetera Servii testimonia. Ad georg I, 6 Servius dicit: Lumina, numina fuit sed emendavit ipse, quia postea ait: Et vos agrestum praesentia numina Fauni. At num credibile est post edita demum georgica poetam animadvertisse quarto versu post verbum numina iterum scriptum fuisse?

Sed maximam gravitatem Schaperus (pg. 38) iis verbis inesse putat quae ex codice Lemovicensi Servio ad I, 13 addita sic scribuntur: In Cornel. „equum", in authentico „aquam", ipsius manu „equum". Sed quam obscura et non aperta ad intellegendum sunt haec verba! Nam quomodo authenticus liber qui intellegendus est liber ab ipso poeta scriptus, opponi potest verbis ipsius manu?

Ribbeckius pg. 29 ait: „authenticum exemplar" ab ipso poeta prius editum „ipsius manu" eam intellexisse putandus est, quae alteram carminum recensionem passim adgressa est. At si haec ita intellegenda essent, conjunctio verborum deesse non potuit, sed poetae haec fere dicenda erant: in authentico „aquam", sed ipsius manu „equum" postea emendatum. Praeterea poetam post editionem alterius carminum recensionis causa verbum „aquam" emendasse ex his verbis concludi posse Ribbeckio non concedo; sed si modo poeta emendavit, ante editionem emendare potuit.

Sed quia hoc loco tres poetae libri commemorantur „Cornel.", „authenticus" „ipsius manu scriptus", nescio an authenticus liber is intellegendus sit, qui a poetae exemplari descriptus erat. Quod ita esse si conceditur, in poetae exemplari equum scriptum fuisse existimo, quum in authentico, ut ita dicam, apographo librarii errore aquam fuerit. Alio enim modo locum explicari posse non video.

Id tamen hic confirmaverim hunc locum, ut mihi, quia non apertus est ad intellegendum, valde suspectus videtur, sic ad Ribbeckii opinionem nihil valere.

Ea denique, quae in scholiis Bernensibus ad georg IV 87, 120, 175 [72]) scripta sunt, demonstrant varias fuisse carminum scripturas; id tamen, quod nobis propositum est, non spectant.

Sed quum negem Servii et Philargyrii testimonia ex ipso poetae exemplari emanasse quaerat forsitan quispiam undenam haec testimonia orta esse existimem. Huic respondeam haec mea quidem sententia ex grammaticorum conjecturis orta esse qui secundo circiter saeculo, si quidem alicujus loci varias esse lectiones videbant [73]), eam a poeta scriptam esse putabant quae de causis saepe levissimis iis poeta videbatur dignissima.

---

[72]) Hagen, Jahrb. für class. Philol. IV. Supplem. pg. 960 sq.

[73]) Si ad ea verba de quibus sermo est respicimus, id est ad ‚tinus' et ‚pinus', ‚calorque' et ‚caloremque', ‚fetus' et ‚flores', ‚germina' et ‚gramina', ‚numina' et ‚lumina', ‚aquam' et ‚equum' etc., parva verborum discrepantia aperte significatur, hic esse varias lectiones, librariorum incuriis ortas.

Sed omnia haec commentatorum testimonia ut certa esse et probabilia concedam — quae sunt longe secus — quid tandem demonstrant ut paucis repetam? georgica esse emendata; at post editionem? id non demonstratur, atque eo consilio ut postea denuo ederentur? Puto emendationes allatas hanc speciem non prae se ferre [73]).

Ut igitur ex illis testimoniis ad hanc quaestionem propositam nihil effici posse demonstravi, sic vere mihi hoc videor esse dicturus omnino abhorrere a vero poetam georgica, quum ea plures quam per tres annos emendavisset, deinde edidisset, usque ad mortem emendare perrexisse.

Imo vero ex Gellii N. A. XVII, 10, 5—8: Nam, quae reliquit perfecta expolitaque quibusque imposuit census atque dilectus sui supremam manum, omni poeticae venustatis laude florent: sed quae procrastinata sunt ab eo, ut post recenserentur et absolvi, quoniam mors praeverterat, nequiverunt, nequaquam poetarum elegantissimi nomine atque judicio digna sunt. Itaque cum . . adventare mortem videret petiit oravitque a suis amicissimis impense, ut Aeneida, quam nondum satis elimavisset, adolerent sequi videtur georgica ab ipso poeta esse perfecta [74]).

---

74) Quod Tittlerus existimat verbis ‚quae reliquit perfecta' sq. singulas Aeneidis partes significari, concedi non potest quoniam Gellius ipse in sequentibus verbis simpliciter et plane dicit Aeneidem omnino nondum satis elimatam fuisse. — Quin potius haec verba de bucolicis et georgicis accipienda sunt, quod illa sequentia: ‚quae procrastinata sunt etc.' Gellius sine dubio de Aeneide, tertio majore opere, dicta voluit.

Jam vero restat ut Ribbeckio occurram quod Varium et Tuccam georgica Vergilio mortuo denuo edidisse ex his vitae verbis [75]) conclusit: Qui cum gravari morbo sese sentiret, scrinia saepe et magna instantia petivit, crematurus Aeneida. Quibus negatis testamento comburi jussit ut rem inemendatam imperfectamque. verum Tucca et Varius monuerunt id Augustum non permisurum. tunc eidem Vario ac simul Tuccae scripta sub ea condicione legavit ne quid ederent quod a se editum non esset et versus etiam imperfectos si qui erant relinquerent.

Sed si totum locum respicimus dubitari nequit quin his verbis nihil aliud significetur nisi Varius et Tucca Aeneidem ne ederent [76]). Itaque poetae heredes bucolica et georgica, etiamsi haec iis a poeta testamento legata esse concedendum est, denuo edidisse ex hoc loco concludi non potest. Quod nisi causis ex re ipsa repetitis decerni non potest. Quid autem erat, cur heredes opus quod, postquam editum est, non erat mutatum, denuo ederent?

Mea igitur sententia, ut omnia brevi complectar georgicon textus, qui his temporibus exstat, ortus est ex editione ab ipso poeta anno 728 parata.

Qua argumentatione partes opusculi principales finitas esse existimo. Neque enim ex ipsis carminibus quaestionem

---

75) Reifferscheid Suet. pg. 63.
76) Schaper pg. 38.

certe solvi posse puto, num poeta georgica jam edita emendare perrexerit, quoniam ut haec emendatio veterum testimoniis non probatur sic viam et rationem qua Ribbeckius primam operis recensionem ex ea, quam in manibus habemus scrutari conatur, certam esse nego.

Ribbeckius [75]) enim eam conjecturam proponit quum in iis locis, in quibus mutatis verbis ea repetantur, quae in eandem sententiam jam dicta sint, tum in iis, qui non bene sententiarum ordini aptati sunt, vestigia secundae recensionis videri posse.

Sed ipsius Vergili mos est sententias, quae nonnullis versibus prolatae sunt, sequentibus versibus amplificare et accuratius explicare [76]).

Ut exemplum afferam de georg III, 8—48, quid sentiam paucis exponam, quem locum Tittlerus affert ut exordium tertii libri ex duobus prooemiis (1—8 acer equis, 40 Dryadum silvas — 48; deinde 3—7, 8—39, 40—45, 49 sq.) compositum esse demonstret.

Neque enim Tittlero assentiri possum qui putat versus 8—39 esse a poeta serius insertos.

Atque de hujus loci temporum descriptionibus jam expositum est; sed quod Tittlerus ad suam sententiam comprobandam dicit, versibus 8—39 Caesarem depingi victorem, quum versibus 46—48 accingar ardentes dicere pugnas Caesaris etc. appareat pugnando occupatus, equidem sentio ardentes pugnas non modo intellegi posse eas pugnas, quae nondum depugnatae sunt, sed etiam, quoniam ardens vim adjectivi habens idem significat ac fervidus, eas, quae jam diu finitae sunt.

[75]) proleg pg. 30 et 31.
[76]) Ladewig, Philol. Jahrbüch. 1856.

Sed ut ad id argumentum veniamus, quod hic maxime spectandum esse vidimus, Tittlerus dicit versibus 46—48 languide id repeti, quod versibus 10—39 jam dictum sit.

Antequam huic sententiae occurram, quia hi versus in diversas partes accepti sunt, qui mihi sententiarum ordo iis subesse videatur, breviter exponam.

Deos greges tuentes canam (1—2), cetera ut argumenta a fabulis de diis deabusque sumpta jam vulgata sunt (3—8). Ingrediar igitur, si modo praeterea carmina faciam, [77]) viam qua non modo novam materiam, [78]) sed etiam me ipsum nobilitare possim (8—9), et hanc viam intellego eam, quod Romanum carmen, Romanae gentis proprium faciam [79]) (10—11) vel (si allegoria utimur) templum condam in Caesaris honorem, quod quo modo ornandum sit, versibus 12—39 depingitur. Nunc tamen, Maecenate jubente, georgica scribere pergam (40—45), mox tamen illud templum aedificabo (46—48).

Qui sententiarum ordo non modo rectus sed etiam necessarius est. Nam postquam poeta se pugnas Caesaris ce-

[77]) Quia poeta in hujus libri initio, quid canere velit exposuit, patet ad ‚temptanda via est etc.' cogitatione supplenda esse talia ut ‚si quidem praeterea canere licet'. Sed hic sententiarum nexus interpretum curis turbatus est scilicet qui malint poetam non recte et sibi constanter dicere quam ipsi suas falsas interpretationes abicere.

[78]) Verbis ‚me **quoque** tollere humo' in versu 8 non modo carminis materiam' cogitatione opponendum esse existimo.

[79]) Verba ‚temptanda via est etc.' ad tertium et quartum georgicon librum referenda esse, qnibus poeta, quum primis libris Hesiodum imitatus sit, non jam ex aliorum auctoritate pendens ipse praecepta det equidem credere non possum; neque enim per se dicere possumus Vergilium primis libris Hesiodum imitatum esse (Glaser edit. pg. 37.), neque eum ultimis libris ex nullo homine pendere (Heyne, Wagner prooem. pg. 269). — Quis denique putet poetam de scribendis demum ultimis libris ‚victorem volitaturum esse per ora hominum' credidisse?

lebraturum esse dixit (12—39), quicunque legit scire velit primum cur poeta non statim haec canat (40—45), deinde quo tempore haec canere incipiat (46—48), quae versibus 40—48 exponuntur. — Itaque concedi non potest versibus 10—39 et 46—48 eandem sententiam exprimi; illis enim aliquid promittitur quod quo tempore fore ut efficiatur his exponitur; illis inest allegoria, his explanatio allegoriae[80]), unde reliquum est ut facile explicari posse dicam, cur horum locorum dicendi genera diversa sint.

His igitur de causis versus 8—39 postea insertos esse nego.

Sed in II, 373 sq. eadem bis repeti mutatis verbis concedo: „magis quam frigora et solem frondi nocere pecoris morsum."

Inde Ribbeckius haec conclusit: „Quoniam autem haec (376—79) multo dulcius atque uberius fluunt illis (373—375), non poterit dubium esse utra minus limatorum loco supponi voluerit auctor."

Sed mea quidem sententia hac ipsa repetitione non parvum momentum affertur, ad coniciendum hunc locum esse ab interpolatoribus corruptum. — Et profecto Peerlkampus[81]) versus 373—375 a poeta esse scriptos negavit. Atque equidem ei assentior, nam ejus sententia non modo illa repetitione sed etiam hujus loci verbis satis insolitis comprobatur. Primum enim „caprae sequaces" pro caprae, quae vites magna cupiditate insectantur, non vulgare est; deinde mireris verbum „illudere" id est „ludendo corrumpere" dici

[80]) Allegorias, qnoniam abhorrebant a simplicitate veterum scriptorum, non supervacaneum erat explicare.
[81]) cf. Peerlkamp. Mnemosyne X, pg. 148.

de „uro" haud parvo animali; denique structura verborum „cui illudunt, pascuntur oves" dura ac contorta est neque jucundior fit, si post verbum „inludunt" magnam interpunctionem feceris.

Atque etiamsi haec omnia per se ferri possunt, offensionem tamen affert, quod hic tam multa a quotidiani sermonis usu discrepantia congesta sint, quibus facile ea suspicio moveri potest hic interpolatorem doctrinam suam congestis his verbis insolitis prae se ferre voluisse.

Verba „hiemes indignae" vero pro „hiemes saevae" dici, mihi videtur minime Vergilianum esse: adjectivum „indignus" enim a Vergilio semper ad personas refertur ut Aen VI, 163 „indigna morte peremtum" id est tali morte quae „illo homine" non digna erat et Aen. XI, 108 Quaenam vos tanto fortuna indigna, Latini, Implicuit bello?" id est ea fortuna, quae vobis indigna erat.

Itaque non leves esse causas ostendi cur hos versus spurios esse existimem.[82])

Sed haec exempla pro multis.

Ut jam ad alteram Ribbeckii sententiam transeamus, in iis locis, in quibus ille vir doctissimus et alii sententiarum ordinem non recte procedere putant, dubitationes saepe recta interpretatione tolluntur.[83]) Hic tamen omnibus sententiam suam probare difficile est, quoniam nonnulli poetam eodem modo interpretari volunt, quo scriptorem prosae orationis,

[82]) Equidem interpolatorem in versu 378 verba ‚illi' et ‚greges' conjunxisse conicio, quae ut interpretaretur versus 373 sq. apposuit.
[83]) Schaper pg. 9—32.

atque nullo modo concedere volunt poetam etiam errare et labi potuisse.

Sed jam Teuffelius (Lit pg. 447) ea quae a Ribbeckio in proleg. pg. 31—48 in Vergilio reprehensa sint partim parvula et levia esse partim nihil demonstrare dicit nisi georgica etiam absolutiora et perfectiora esse posse quam re vera sunt.

Ut unum exemplum pro multis ad Ribbeckii rationem illustrandam afferam, is (prolg. 36) ad IV, 228-250, in quibus sententiarum quaedam agglutinatio magis quam compositio insit, quum sententiae diverso ordine necti possint, leniora omnia et jucundius conjuncta, quamvis minus plena effici existimat omissis bis ternis versiculis 236—238 et 248—250. Inde concludit hos secundis curis additos nec satis concinne cum ceteris conciliatos esse. Sed quaero num hoc ex necessaria consecutione confectum sit.

Tittlerus (pg. 10-12) versibus ita ordinatis 228—230, 236-239, 231—235, 243—250, 239—248 ipse concedit ex hoc loco nihil certi effici posse poetam hic versus postea inseruisse. — Sed mea quidem sententia, ne omnia a Schapero pg. 27 et 28 exposita repetam, sententiarum ordo qui est in codicibus, sollicitandus non est.

Ceterum de locis georgicon ab interpretibus sollicitatis eos qui legunt ad Schaperum revoco, qui pg. 9-32 ut paucis sic acutis verbis de iis exposuit.

Sed hoc ipsum concedatur nonnullis locis non recto sententiarum ordine denotari, versus quosdam non esse in apto loco, sur necesse est concere hoc inde ortum esse quod versus ab ipso poeta in marginem scripti ab aliis falso loco sint inserti?

Imo vero si spectamus quemadmodum transpositiones in aliis scriptoribus ortas esse explicetur, comparatione et similitudine adducimur ut a scriba aliquo satis antiquis temporibus hos versus esse transpositos credamus.

Ribbeckii igitur ratio neque ad ceterorum scriptorum analogiam conformata nec probabilis vel certa est.



VITA.

Natus sum Johannes Franciscus Julius Borgius d. XIX. mens. Sext. anni 1852 in Borussiae occidentalis provinciae urbe, cui nomen Gedano inditum est, ubi patrem Eduardum et matrem Henriettam e gente Schroeder adhuc superstites esse gaudeo. Evangelicae addictus sum fidei. Erudito mihi artium liberalium elementis in gymnasio Gedanensi tempore paschali anni 1872 testimonium maturitatis tributum est. Me contuli Lipsiam, ubi per bis sex menses scholis Ahrensii, Curtii, Drobischii, Frickii, Hildebrandi, Luthardi, Ritschelii, Roscheri, Steydelii, Zarnckii interfui. Deinde Berolino petito maxime his viris clarissimis usus sum magistris: Curtio, Harmsio, Hauptio, Kirchhoffio, Mommseno, Müllenhoffio, Zellero. Denique in literarum universitate Halensi per tria semestria commoratus audivi Dümmlerum, Erdmannum, Heydemannum, Hildebrandum, Keilium, Kirchhoffium, Zacherum. Per bis sex menses seminarii regii Halensis exercitationibus, quas Bernhardyus et Keilius moderabantur, interfui.

Quibus viris illustrissimis de me optime meritis gratias nunc ago agamque semper.

THESES.

I.

In Vergili georg l. IV v. 500 sq. sic scribendos esse contendo:

neque ille
Prensantem nequiquam umbras et multa volentem
Dicere praeterea, vidit

II.

In Vergili georg l. III ante versum 159 lacunam esse statuendam existimo.

III.

Quod Engelmannus (Archäol. Ztg. Berl. 1875 S. 20) conicit in vasculo quod est in collectione Johannis Jattae (catal. Nr. 1088) Heraclis et Ergini pugnam depictam esse improbandum est.

IV.

Expetendum est ut discipuli praeclarissima antiquae artis opera in superioribus gymnasii ordinibus cognoscant.


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0021134812